

DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA.  
DE  
MORBORVM SIGNIS  
QVAE  
A NARIBVS DESVMVNTVR

QVAM  
SVMMI NVMINIS AVSPICIIIS  
ET  
GRATIOSI ORDINIS MEDICI INDVLTV  
P R A E S I D E  
VIRO ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO  
DOMINO

**D. ANDREA ELIA BÜCHNERO**

SACRI ROMANI IMPERII NOBILI,  
POTENTISSIMO PRVSSIAE REGI A CONSILIIIS INTIMIS,  
MEDICINAE ET PHILOSOPHIAE NATVRALIS PROFESS. PVBL. ORDINARIO,  
FACVLTATIS MEDICAE R. T. DECANO,  
IMPERIALIS ACADEM. NATVR. CVRIOSOR. PRAESIDE  
ET COMITE PALAT. CAESAREO,

*PRO GRADV DOCTORIS*

SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS  
LEGITIME IMPETRANDIS,

D. VII. AVGVSTI, A. S. R. MDCCCCLIV.  
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA

PVBlice DEFENDET  
AVCTOR

**CHRISTIANVS GOTTLIEB ROLL**

PHILOSOPHIAE MAGISTER  
WRATISLAVIA-SILESIVS.

---

HALAE MAGDEBVRG. LITTERIS HENDELIANIS.



19

DISSERTATIO IN AVGVRAVIS MEDICA

MORBORVM SIGNIS

A NARIIVS DESVMVTVR

AVVM VAVM DE AVAVTIO

GRATIOI ORPVS MIVDI INDVTV

P R A E S I D E

VRO IN VSTRI EXCELLEN. VSTIO ET EXPVRISSIMO

D O M I N O

D. ANDREA ELIA BVCHNERO

SACRE ROMANE IMPERII NOBIL

POTENTISSIMO PRVSIAE REGI A CONSILII INTIME

REGIALE ET VIVONENSIS VIVONENSIS VIVONENSIS VIVONENSIS

AVAVTIO AVAVTIO AVAVTIO AVAVTIO

AVAVTIO AVAVTIO AVAVTIO AVAVTIO

AVAVTIO AVAVTIO AVAVTIO AVAVTIO

PRO GRANDI DOCTORIS

AVAVTIO AVAVTIO AVAVTIO AVAVTIO

AVAVTIO AVAVTIO AVAVTIO AVAVTIO

AVAVTIO AVAVTIO AVAVTIO AVAVTIO

IN ALMA REGIA FRIDERICIANA

AVAVTIO AVAVTIO AVAVTIO AVAVTIO

AVAVTIO AVAVTIO AVAVTIO AVAVTIO

CHRISTIANVS GOTTLEB ROLL

AVAVTIO AVAVTIO AVAVTIO AVAVTIO

AVAVTIO AVAVTIO AVAVTIO AVAVTIO

AVAVTIO AVAVTIO AVAVTIO AVAVTIO



VIRO  
PRAENOBILISSIMO, EXPERIENTISSIMO  
ET DOCTISSIMO  
DOMINO  
IOANNI ERNESTO  
STIEFF

MEDICINAE DOCTORI ET PRACTICO WRATIS-  
LAVIENSI CELEBERRIMO,  
IMPERIALIS LEOPOLDINO-CAROLINAE ACADEMIAE NATVRAE  
CVRIOSORVM COLLEGAE DIGNISSIMO,

FAVORI SVO HONORATISSIMO,



HANCCE  
DISSERTATIONEM INAUGVRALEM

IN PVBLICVM  
PIETATIS, MENTIS OBSTRACTISSIMAE

AC DEBITAE GRATITVDINIS

TESTIMONIVM

CVM VOTO PERPETVAE FELICITATIS

ET PROSPERRIMORVM SEMPER SVCESSVVM

D. D. D.

M. CHRISTIANVS GOTTLIEB ROLL

VRATISLAVIA-SILESIVS.





DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA  
DE  
MORBORVM SIGNIS,  
QVAE  
A NARIBVS DESVMVNTVR.

---

PROOEMIVM.



**T**ametsi amplissima, & ubertate rerum non minus, atque varietate maxime foecunda deprehenditur medicina; saepe tamen numero medici iuvenes, simulac primos eruditi ipsorum laboris fructus in hominum pervenire manus volunt, magnopere vereri incipiunt,

A 3

ne

ne ipsum, quod elucubrandum sibi proponunt, argumentum leve, pervulgatum atque in aliorum commentariis protritum esse videatur. Atque hanc feligendae aptae ad differendum materiae sollicitudinem non excitat modo, verum etiam auget insignis ille & paene infinitus commentationum medicarum numerus, qui, in solemne eruditionis quantaecunque exemplum, ab honores summos medicos ambientibus in academiis emittitur quotannis. Equidem minime nego, multa hic deprehendi vulgaris, neque pertractatu satis digna, plura aliunde compilata & velut recocta, plurima denique parum rei medicae opportuna atque fructuosa, ne dicam inutilia prorsus atque inficeta. Neque vero ego ab eadem hac absui cura, quum in praesenti mecum ipse meditarer de eiusmodi argumento, quod nec ad tractandum videretur indignum trituque pervulgatum, nec esset omnino in ea medicina, quae ipso exercetur usu, frugis experts. Dispicienti itaque mihi de istiusmodi medicinae parte, quae materiam sufficeret instituto meo accommodatissimam, signorum medicorum doctrina,



Strina, quam graeco nomine vulgo *Semiologiam* appellant, visa mihi est reliquis partibus longe magis idonea: quandoquidem, ut omnium paene Medicorum querimoniis constat, haec ipsa inter singulas reliquas disciplinas medicas minimis tantum elaborata est curis, velutque ager aestimanda est, non quidem indole sua infocundus, sed a priscis solum possessoribus optime cultus, a recentioribus autem fere neglectus & tantum non desertus. Enimvero ut semioticum Dissertationi meae inaugurali feligerem argumentum, permovit quoque me altera illa utilitatis ratio, quae in exercitio medico a Semiologia generatim insigniterque potest expectari. Mea autem porro interest, edoceri adhuc lectorem, cur singulariter de iis morborum signis, quae a *naribus* desumi possunt, disputatio haec mea sit animadversura. Noveram, a summo paene omnium, qui fuerunt unquam, Medicorum Semiologo, HIPPOCRATE, inter praecipua atque firma medicae praedictionis fundamenta collocari diligentissimeque commendari attentum *faciei* aegrotantium intuitum

tum a); noveram porro, alterum illum inter nostrates Hippocratem, si utriusque exquisitissimam morborum signorumque ad hos pertinentium notitiam comparatione coniunxeris, nimirum *Georgium Ernestum STAHLIUM*, peculiari scriptione academica b) insignes in Semiotice usus, ab adspecto aegrotorum vultu exspectandos, dedisse evolutos; noveram denique clarissimum Lipsiensem Medicum, *Samuelem Theodorum QVELMALZIUM*, paucis abhinc annis eandem hanc singularem Semilogiae particulam meritis prosequutum

a) Conferantur e.g. dicta passim in *Praenotion. & Coacis Praenotion.* atque *Aphorismis.* Praecipue autem huc spectant monita, quae in *Libr. de victu acutorum*, Cap. XLVI. Edition. *van der Linden* p 306. Tom. II. exstant, sequentia: *Sunt adpectus aegrotorum multi: quare animadvertendum est Medico, ut ne aliqua manifesta causa ipsum lateat, neque ex his, quae rationatione cognoscuntur, neque ex his, quae ad numerum parem aut imparem (dies criticos) apparere oportet.*

b) Nimirum in *Dissert. de Facie morborum indice*, quae prodit Halae 1705. quacum conferri quoque meretur *Christiani LANGII Facies Hippocratica levi penicillo adumbrata.* Lips. 1651.

tum esse laudibus c). Atqui exinde de facie, capiendis morborum signis generatim apta, certus factus, non infructuosam quoque existimavi eiusmodi futuram esse operam, qua in singulas eiusdem partes seorsim spectatas, ut in signa, inquireretur. At vero vix duo nunc praeterlapsi sunt anni, quum in ipsa hac illustri Fridericiana duae iam huius generis prodierunt Dissertationes, altera de *oculo*, altera vero de *ore*, ut *signo*, conscripta: medium ergo occupabo, quod exponendum restat, *nasumque*, tanquam *morborum indicem*, primus, nisi me omnia fallunt, peculiari sistam commentatione. Quae ut in *duas* distribueretur *sectiones*, & natura dicendorum voluit, & ordo; quarum *prior* generalia morborum signa, a naribus petenda, tradet, *posterior* de iis signis, quae speciatim ad singularia morborum genera pertinent, commentabitur. Adsint conatibus his meis, divini numinis auspicio susceptis, aequi benevolique lectores!

B

CAPVT

c) In *Prosoposcopia medica*, quam Clariss. Vir Dissertatione complexus est & in lucem prodire iussit Lipsiae, 1748.

## CAPVT I.

DE

GENERALIBVS MORBORVM SIGNIS,  
QVAE A NARIBVS DESVMI POSSVNT.

## §. I.



Ominosas *narium* in morbis conditiones, ad commodiorem sanitatis morborumque notitiam pertinentes, praesenti Dissertatione expositurus, parum mei interesse institutus sum, longo antea definitionum ratiociniorumque ordine demonstrare, quid in scholis medicis appelleretur, quotuplexque sit *signum*, partim vero, quo iure, quoque merito ipsam illam haud ignobilem faciei partem, *nasum*, inter praecipua quaedam eruendorum signorum medicorum referam adiumenta. Tiro enim sit, oportet, & ne primis quidem doctrinae semiologicae elementis imbutus, qui nesciat, in quolibet corporis humani statu deprehendi quasdam mutationes, sensibus observabiles, ex quibus idem status, sive praesens fuerit, sive praeteritus futurusve, colligi potest. Atqui vero huiusmodi mutationes, sensibus deprehensae, & qualemcunque corporis humani statum significantes, uno nomine *signa* dicuntur. Quorum singulorum ea est indoles, ut, quum ipsa de corporis nostri qualitercunque constituti conditione cum praesenti, tum praeterita, tum denique futura testentur, sua quo-

de morborum signis, quae a naribus desumuntur. II

quoque sponte triplici se comprehendi genere partiantur: alio, quod praesentis status est indicium & exinde graecum barbarumve διαγνωστικὴ seu *demonstrativi* nomen est natum; alio, quod de praeterito corporis habitu exhibet testimonium & eadem, ut prius illud, ratione ἀναμνηστικὸν seu *rememorativum* dictum est; alio denique, quod futuras in humano corpore mutationes ominatur, graeco plerumque vocabulo προγνωστικὸν appellatum.

§. II.

Verum enim vero quum cuiuslibet generis signa ab earum mutationum, quae in corporis humani partibus contingunt, observatione dependant (§. I.); ipsa vero omnium harum mutationum ratio, ut firmissimae Physiologorum probationes luculenter ostendunt *d*), in determinato illo atque arcto singularum partium consensu & coniunctione sit sita: sequitur exinde, ut, quicquid erit signorum, quae a vario narium habitu expectari poterunt, imprimis ad nasi cum vicinis non solum, sed remotioribus quoque partibus nexum consensionemque sit referendum. Quemadmodum igitur uniuscuiusque Semiologi plurimum interest, corporis tam sani, quam aegroti perfecte calluisse scientiam, hoc est, singulas accurate nosse rationes, quibus omnium, quae humanum componunt corpus, partium vires, a qualicunque earundem structura dependen-

B 2

den-

*d*) Qua de re per ratiocinia, ut solet, disputantem videtis  
Clar. Io. Freder. SCHREIBERVM, in *Element. medic. physico-mathem.* Tom. I. §. 322-354.

dentis, consentiunt inter se dissentiuntve: ita & nos decet, ut infra disputandis plus adferatur luminis, pauca quaedam de nasi cum reliquis partibus connexione ex Anatomicorum repetere institutionibus, anteaquam ipsa, quae nares offerunt, morborum signa explicemus e).

### §. III.

Neque vero, dum, quibus rationibus reliquarum partium coniunctione teneatur nasus, exponendum suscipimus (§. II.), universam illam atque subtilem eiusdem fabricam accurate pleneque expediemus, ne constitutae nobis brevitati ipsi officiamus: sed ea saltem, quae adiunctiora sunt atque propiora causis signorum, paucis attingemus. Quam obrem quum physiologicis edoceamur praeceptis, primarios omnium motuum mutationumque, in corpore humano contingentium, fontes originisque putandos esse ipsos canales sanguiferos nervosque, una cum vitali vividoque, quem uterque vehit, liquore; ab his vero motibus corporis mutationibusque quum qualiacunque dependeat signa medica (§. I. II.): haud obscure inde patere arbitramur, ad explicatiorem signorum medicorum a naso desumendorum intelligentiam nihil aequè magis pertinere, quam ipsam exactiorem nervorum

- \*) Minime autem nobis animus est, omnia hic excurrere signa, quae a vario nasi habitu in sanis Physiognomi derivant, & partim reliquis corporis membris, partim ipsi animo eiusque variis affectibus, lepida saepe ratione conferunt.

rum vasculorumque sanguiferorum in narium fabrica distributorum evolutionem. Ad quod accedit, haud quaquam ullum aliud in corpore humano consortii consensusque, quo omnes inter se conspirant partes, deprehendi vinculum, quam quod vasa nervique neccunt. Unde etiam vel hoc nomine *vasculorum & nervorum*, ut dicuntur, *nasalium* consideratio, quum coniunctionis, quae nalo cum aliis partibus intercedit, rationes ostendat, haud videri poterit capiendis explicandisque narium signis inopportuna f).

§. IV.

Scilicet haud exigua arteriolarum venarumque, ad universam narium structuram abeuntium (S.III.), copiam, a veteribus Anatomicis raro minusque plane commemoratam, ne dicam omnino praetervisam, recentiorum industria magis detectam evolutamque habemus g). Impraesentiarum autem

f) Auctores tamen sumus tironibus aliisque rei anatomicae minus gnaris, ut totam, quam varia est atque mirifica, narium structuram aliunde repetant expositam, quo ipsis de signorum infra commemorandorum rationibus satis constare possit. Quem in finem, praeter notissimos accuratiores libros anatomicos, speciatim ipsis commendamus *Frider. BOERNERI Commentat. de adoranda Dei maiestate in mirabili narium structura*, Brunswig. 1747. & si haberi potest, *Hugon. van de POLL, Dissert. de partibus, quae in homine olfactui inserviunt*, Lugd. Bat. 1743.

g) Huc e. g. pertinet *Celeb. Iusti Godofr. GÜNTERII Commentatio de arteria maxillari interna*, iis conferenda, quae iam

autem non ea solum expediemus vascula, quae ad  
exteriorem illam atque prominentem nasi partem  
pertingunt, sed dicemus quoque de iis, quae inte-  
riorem narium fabricam, praesertim *pulposam* illam  
atque *mollem membranam*, alias SCHNEIDERI *pi-  
tuitariam* vulgo appellatam, numerosis ramulis per-  
reptant. His enim potissimum magna signorum, a  
naso in morbis indicatorum, infra debebitur decla-  
ratio. Atque quod primum ad *arterias* attinet in  
narium interiora digredientes, merito communis  
ipsarum stirps atque mater arteria carotis erit aesti-  
manda. Inde enim producti innumerabiles furcu-  
li, a paullo evidentioribus ramis, arteriis nimirum  
maxillari interna, nasalibus tribus, suprema nempe,  
& lateralibus (teste Illustri HALLERO *b*), palatina,  
ophthalmica, & in sinibus speciatim a tunica pitui-  
taria investitis, infraorbitali undique per nares di-  
sparguntur. Datae porro his arterioli *venae* fo-  
ciae, sed plerumque iis paullo obscuriores, a ma-  
gno illo plexu, quem musculus pterygoideus ex-  
ternus in se complectitur, colliguntur, cum ipsius  
durae matris sinibus communicant, tandemque ex-  
terno iugularis venae internae ramo coniunctim ex-  
cipiuntur.

## §. V.

Neque minor *nervorum*, qui nares subeunt  
(§. III.), deprehenditur numerus. Quorum prae-  
cipuus,

ante ipsum ab Illustri *Alb. de HALLER* disputata sunt ad  
eandem rem in *Not. ad Praelect. Boerhaavian. Tom. IV.*  
§. CCCCXCIV. not. c).

*b*) In *primis lineis Physiolog.* §. CCCCLIX. p. 240. Ed. primae:



cipuus, cui potissimum excitandi perficiendique olfactus negotium videtur demandatum & exinde *olfactorii nervi* nomen singulariter inditum est, ab intervallo anteriorum cerebri loborum fibra laterali, recta vero a medulla lobi anterioris primo progreditur; hinc vero, in mollissimos & paene dixerim, infinitos divisus furculos, media parte pituitariam adit membranam: unde porro intricatis flexibus per cribrosi ossis foramina in ipsum narium septum pergit, & ultra legentem ipsius vestigia Anatomicum eludit. Praeter hunc vero difficillimum illud investigatu nervorum par, quod quintum vocant *i*), insignes quoque ramos in internam narium fabricam emittit. Poriores huius generis rami nervei a secundo huius nervi ramo descendunt, qui denuo quatuor furculis distinctus variis nervis nasalibus dat origines. Primus horum furculorum nerveorum, quem *ramum Vidianum* appellant, per canalem cognominem progressus, quatuor aut quinque ex se denuo emittit ramulos, qui partim per foramen sphaenopalatinum superiorem atque posteriorem narium cavitatem adeunt, partim ipsum septum novis pertundunt ramulis, partim infra tunicam pituitariam in ossis cribrosi cellulas serpunt, tandemque varie divisi in anteriori narium desinunt cavitate.

*i*) Enodator autem huius nervi structura nunc quidem esse coepit, ex quo Clariss. Io. Frider. MEKELII exinde prodiit *Dissertatio de nervo quinti paris*, Götting. 1748. utpote quae eiusdem anastomoses cum nervis ophthalmicis, temporalibus, intercostali, duro, &c. accurate descriptas elegantissimeque depictas exhibet.

tate. Alter secundi rami, a quinto nervorum pari emissi, ramus, *palatinus* dictus, e trium ramorum, in quos denuo discedit, maximo aliquos etiam nervulos inferiori ossium cribroforum parti, ipsique septo impertit. A tertio vero ramo nullas nervorum propagines accipiunt nares: contra ea autem a quarto, quem *infraorbitalem* Anatomici vocant, partim membranae pituitariae, maxillarem sinum investienti, partim ipsi externae musculosae narium compagi nervi inferuntur. Tandem quoque primus quinti paris ramus, *ophthalmici Willisiani* nomine notus, peculiari ramulo per foramen orbitale anterius ossis cribrosi nares adit, & cum *membranam Schneiderianam*, tum septum nervulis instruit.

## §. VI.

Enimvero haecenus disputata (§. IV. V.) illud sibi volunt, ut ne mirum videretur lectoribus, si didicerint, nasum graves omnino atque funestos in morbis ominari posse eventus, & absconditi atque intricati mali saepenumero haud vanum esse testem indicemque. Quodsi enim perpenderit secum, quanto ex canale arterioso proxime oriatur carotis arteria, omnium vasculorum sanguinem ad cor advehentium fons atque origo (§. IV.); quam insignis porro, immo princeps venae subclaviae, ipsius ex cava vena propaginis, ramus sit iugularis interna, commune nimirum omnium venosorum canalium a naribus reflexorum receptaculum (§. cit.); quanta denique quinto inprimis nervorum pari, a quo plures ad nasum abire nervos vidimus (§. V.), cum primariis

mariis reliquis corporis humani nervis, temporali-  
bus, ophthalmicis, duro, intercostali, &c. *k*) interce-  
dat coniunctio consensusque: haec, inquam, si per-  
penderint lectores, minime dubito, ipsis quoque sin-  
gulorum, quos expositurus sum, signorum rationes  
facile perspectas fore atque explanatas.

§. VII.

Observandis igitur nasi in aegro corporis sta-  
tu indiciis intentum Medicum oportet, primo ex-  
quisite nosse, qualis generatim in sanitate narium sit  
habitus atque conditio, & quae ipsis accidant muta-  
tiones, si cum internis reliquarum partium viribus  
ad sanitatem conspiraverint: deinde vero studiose  
explorare, quo discrimine praecipue atque specia-  
tim cuiusvis singularis hominis, ceteroquin sani, na-  
res, unde omina in morbis captaturus est Medicus,  
a consueto aliarum narium habitu recedant; ne fal-  
so existimet, mutationes nasi dehinc observatas, quae  
in eiusmodi homine cum reliquarum partium mu-  
tationibus omnino ad sanitatem collineant, neuti-  
quam sanitati esse convenientes. Ad haec denique  
quum singulae, quae in morbis observatione cogno-  
scuntur, mutationes aliquem virium corporis hu-  
mani eiusque partium, unde productae sunt, con-  
sensum conspirationemque supponant, (ut a Patho-  
logis plenius demonstratur,) cui tantummodo is de-  
terminatus deest gradus, quo ipsae illae vires ad sa-  
nitatem diriguntur: hinc quoque necessaria confe-  
ctione confici videmus, ut unusquisque Medicus,

C

de

*k*) Confer. not. *k*)

de cognoscendis narium signis follicitus, probe antea dispiciat, quali incongruo minusque salutari consensu singularum in universo corpore humano partium vires in quolibet morbo inter se conspirent. Atque ut paucis dicam, Semiologum, e narium varia conditione vaticinaturum, nec Physiologia, nec Pathologia decet esse destitutum; quoniam omnes, quae in his exponuntur doctrinis, mutationes ipsi sunt fontes signorum (§. I. II.).

## §. VIII.

Duplici itaque ratione mutationes naso contingentes poterunt considerari. Namque aut *generatim* exinde certus quidam corporis status & imminentes aliae mutationes colliguntur, sine respectu privatae atque singularis corporis cuiusdam constitutionis, vel peculiarium quorundam morborum; aut *speciatim* ad ambo haec momenta simul attenditur (§. VII.). Oritur hinc, huius rationis intuitu, *duplex* signorum medicorum *genus*, nimirum *generalia* alterum, alterum vero *specialia* complectens *signa*. Nos etiam, dum narium indicia sigillatim exponere paramus, hoc priori Capite de *generalibus* breviter dispiciemus, partim accurate consignatis celebriorum fideque dignissimorum Medicorum observationibus, partim diligentissime subductis ab anatomica narium fabrica atque nexu (§. IV. V.) rationibus dicenda superstructuri.

## §. IX.

Universum narium ambitum nobis *generatim* intuitibus expeditior signorum erit animadversio,  
fi

si naturalem nasi conditionem ad certa quaedam atque singularia reduxerimus momenta, atque ab his demum, si secus fuerint deprehensa, opportunas ceperimus iudicationes. Scilicet facillima haec erit divisio, si, quod ipsa natura esse voluit, discrimen in considerando sequamur naso, & quaecunque aut in externa, aut in interna narium parte mutata atque a naturali ordine indoleque regressa observando deprehendimus, seorsim universae reliquae corporis constitutioni conferamus. At vero *externae parti*, quae alias quoque stricte angusteque sumpta significatione *nasus* appellatur, quinque praecipuae accidere solent commutationes, capiendis exinde signis idoneae. Namque aut *primo* ad liberam musculorum nasi actionem turbatam mutatamque, & hinc dependentem voluntarium mobilis narium partis motum impeditum spectat Medicus; aut *porro* tota nasi fabricatio videtur perversa atque immutata; aut *tertio* in ipso externae nasi superficiei colore, quo cum plerumque & eiusdem diversus calor coniungitur, mutatio contingit; aut *quarto* insolitus quidam atque minus naturalis in nasi compage sua sponte oritur sensus, pruriens potissimum, sed saepe quoque numero subacrem & obscurum movens dolorem; aut denique *quinto* ipsis cuiuscunque generis tumoribus exulcerationibusque *nasus* obsidetur. Quae vero ab *interna* narium parte Medico offeruntur signa, universim ad significantiores mutationes in ipso narium munere, cuius gratia ipse fabricatae sunt, factas referri commode possunt. Noverint, oportet, lectores e Physiologorum praeceptis,



ceptis, hoc a natura naribus esse datum officii, ut primo per spiracula sua spiritum tum libere nullisque retardatum difficultatibus, tum pure nec foetoribus infectum ultro citroque meare patiantur; dein ut olfaciant; tertio ut ab advecto per canales arteriosos (§. IV.) sanguine peculiarem fecernant pituitam, eiusdemque molestia caput commodissime liberent; quarto denique, ut ipsas lacrymas, per singularem canalem, cui vulgo *ductus nasalis* nomen impertiunt, adfluentes suscipiant <sup>1)</sup>, cumque proprio mucos porro emittant. Atqui si haec singula muneris narium momenta secus fuerint, merito inter signa internarum narium medica referuntur. Nos ergo de singulis utriusque partis seorsim dispiciemus.

## §. X.

Atque primo quidem quod ad *motus voluntarii vitia*, in externa mobilique narium parte interdum observabilia (§. IX.), attinet, quae ex generallium sunt classe (§. VIII.), sequentia inprimis praereliquis hoc loco memoratu sunt digna. Gravissimum vitiosarum huiusmodi mutationum genus est *distorsio* perversioque *nasi*. Namque, ut primum diagnoseos habeamus rationem, singulariter exinde ipsa violenta musculorum nasalium contractio, quam alias notiori nomine convulsionem spasmumque

<sup>1)</sup> Peculiare hoc narium officium primus, quantum novi, explicite proposuit Daniel. TAUVRY in *Nouvelle anatomie raisonnée*, p. 368. Edit. Ulmenf. 1694. unde dein recentiores Physiologi eiusdem muneris mentionem repetierunt.

que vocant, adeoque liquidi etiam nervosi vehemens & alterna in eosdem musculos impulsio evidenter manifestatur. Quae quum, docentibus Pathologis *m*), a multis iisque omnino diversis excitari possit caussis, supra expositos narium nervulos (§. V.) vel cominus, vel, totius inter se arctissime cohaerentis systematis nervosi ope, eminus quomocumque vellicantibus irritantibusque, e. g. impetuoso sanguinis ad caput affluxu, vasorum nervorumque compressu, nimia canalium sanguiferorum inanitate, vulnere, & id genus aliis: facili negotio intellectum iri arbitramur, singulas quoque has convulsionum causas a distorto perversoque naso, tanquam signo, quod diximus, rememorativo (§. I.), posse indicari. Prognoseos denique respectu generatim haud laetabilia a nasi distortionem ferunt omina; ut est quodvis convulsionum genus parum felicitis praesagii, nisi quidem specialior morborum indoles aut aliae causae (§. VII.) mitiores eventus polliceantur. De quo postea plura, quae huc pertinent, differendi erit locus.

§. XI.

Verum enim vero musculi nasales interdum in aliud quoddam & priori isti spasmodico (§. X.) fere e contraria parte oppositum motus voluntarii vitium (§. IX.), *paralyticum* scilicet *adfectum*, devolvuntur: unde nonnihil etiam spectat ad signorum observationem. Duplex autem praesertim phaenome-

C 3

nome-

*m*) Videatur, si lubet, Illustris *Ger. van SWIETEN* *Comment.*  
in *BOERHAAVE Aphor.* §. 230. sq. & §. 710. sqq.

nomenorum genus inde ortum a Medicis clinicis observatum est, quod utrumque etiam praecipuam Semiologi animadversionem meretur. Accidit enim, ut aut aliquos, inprimis senes, distorti nasi orisque notis signatos conspiciamus, aut interdum in quibusdam morbis narium pinnae ita robore suo naturali deiectas videamus, ut sub respiratione a ventilato per nares aëre solum varia atque inaequali ratione mox comprimi atque contrahi, mox vero denuo dilatari se patiantur. Quorum phaenomenorum prius illud, diagnosis concepturo Medico dilucide demonstrat, alios quidem nasi musculos influxu liquoris nervosi aut arteriosi esse interclusos, hoc est, esse paralyticos; alios vero in hunc infirmitatis consensum non coactos, quin potius maiores liberioresque agendi vires esse nactos. Posteriori autem hoc observato facile nervorum resolutio dignoscitur magis universim musculos nasales aggressa: constititque frequentioribus accurate attentorum Semiologorum observationibus *n*), satis levem atque incertam futuri laeti eventus spem in morbis gravioribus exinde esse concipiendam. Quodsi demum remotiores huiusmodi paralyticarum affectionum origines varias, verbi causa, a praegressa apoplexia, epilepsia, convulsione, inflammatione, vulnere, ulcere *o*), &c. secundum Patholo.

*n*) Exempli gratia evolvenda commendamus Clariss. *Georg. Bethardingii Fundamenta Semiologiae medicae, Aphorism.* 238. pag. 106. Edit. Hafniens. 1740.

*o*) Subit hoc loco animum nostrum memoria singularis cuiusdam



thologorum praecepta, ut decet, repetierimus, habebimus profecto, cur his paullo ante expositis phaenomenis haud ultimum quoque locum inter anamnestica signa concedamus.

§. XII.

Alterum generalius momentum, ad quod in externa narium parte attendere Medici interest, ipsa constituit *magna*, quae interdum contingit, *immutatio* in universa paene *fabrica nasi* deprehendenda (§. IX.). Explicatius autem dicendum est, quale demum mutati nasi genus hoc loco velimus significatum. Fingite vobis, si placet, lectores, nasum summe extenuatum, compressum, in apice maxime acuminatum, ut, quod in proverbio est, per acum transmitti possit, antica parte parum ad superiora reflexum & inversum, & considerate demum, quantum idem a pristina perdiderit forma. Sed duca-  
mus porro lineas & adfectam tam singularis faciei imaginem perficiamus. Sint ad haec oculi cavi, tempora collapsa, aures frigidae, contractae, imisque suis lobis inversae, cutis circa frontem rigida,  
contra-

iusdam exempli, quod ipsi animadvertimus, ad illustranda supra dicta perquam idonei. Puer novennis, caecochymicus, & praecipue diu atrophiam vexatus, dextra nasi parte per semestre fistulam, quam Chirurghi dicunt, lacrymalem sustinuerat, large satis ichora destillantem, & ecce! nescio quo casu subito omnis hic supprimitur fluxus vixque altero die praeterlapso statim retorsio succedit nasi ad sinistrum latus, apice prorsus obliquum respiciente, quae etiam nunc immedicabilis perdurat. Cuius affectus rationes facile ex supra disputatis patebunt.

contracta atque arida, & color denique totius faciei subpallidus, aut niger atque lividus, aut etiam plumbeus. Atqui habebimus terribilem illam atque ominosam *faciem Hippocraticam* p): cui si adhuc absentiam vividi in oculis fulgoris & insignem a sudore frigido madorem adiunxeris, nescimus sane, nostro quidem iudicio, unde certiora imminentis mortis praefagia definiantur. Mitiores autem, immo plerumque salutare eventus Medicum augurari oportet, si ipsa illa miserabilis facies nondum oculorum vivacitate & subtepido madore fuerit destituta. Quanquam enim utraque haec facies summae in universo corpore debilitatis testis est atque index: ratione tamen anamnestici argumenti inter se omnino non convenire videntur. Illa enim prior potissimum de contagio, veneno, &c. in corpus antea quomodocunque suscepto, aut de ipsa qualiscunque generis tabe, quae sensim corpus exhaustit, testimonium perhibet: haec vero plerumque ab adfectibus animi gravissime percellentibus, a protractis nimis pervigiis, ab inedia diuturna, a frequentibus & continuis diarrhoeis, &c. vires corporis maxime enervatas, facilius autem ad pristinum robur revocandas, ostendunt. Ex his itaque patere simul arbitramur, quid universim ex perversa, quam enarravimus, nasi constitutione, utpote ad Hippocraticam faciem pertinente, de praeterito praesentique

p) Quam ipse optimus Senex descripsit in *Praenotion*. Cap. II. pag. 448. Tom. I. Edit. cit. quibuscum opportune conferri poterit *Claud. GALENVS in Prognost. Hippocrat. Comment. I. §. 9. 10.*

que corporis statu definiri, & de futuro praefagiri possit.

§. XIII.

Venimus nunc ad *colorem nasi* (§. IX.), quem etiam in morbis praetervidere accuratum Semiologum non decet. Qui quoniam a diverso sanguinis per minima vascula transitu variaque ipsius sanguinei humoris indole dependet, & naturalis partium calor easdem habet origines: opportunum laboris compendium nobis visum est, si utriusque signa generalia, quae ad nares pertinent, coniunctim traderemus. Duplex autem, uti in quacunque corporis parte, sic in naso quoque praecipua coloris calorisque a naturali indole deprehenditur aberratio. Partim enim aut *intense rubent* partes, aut *pallent*, vel a pallore in *lividum* luridumque *colorem* vergunt; partim vero aut *nimis calent* & paene ferment, aut *frigent*. Videamus ergo, quibus signis utrumque genus Semiologum instruat. Atque primo quidem diagnosin expedituri, notamus, nasum, si rubuerit, generatim nimiam in corpore sanguinis abundantiam plenitudinemque, aut auctiorem atque concitatiorem eiusdem ad superiores partes adfluxionem indicare; sin vero palluerit, aut ipsum livorem luroremque induerit, iustae necessariaeque sanguinis copiae defectum, vasculorum aliquam inanitatem, aut externam spasticam, quam Medici vocant, constrictionem, & hinc lentum liquidi sanguinei per minimos canales progressum, aut denique ipsam sanguinis in his perexilibus vasculis immobilitatem incipientem, hoc est, ut minus latine

D

dicitur,

dicitur, stagnationem manifestare. Eadem phaenomena indicant quoque calor & frigus, hoc palloris, ille ruboris plerumque comes. Saepe vero numero quoque pallidus rubicundusve nasus *ἀναμνήσσεως* vice fungitur, docetque, (ut exemplum addamus,) intuentem Medicum, si rubore fuerit perfusus, proxime praegressam turbulentiorum animi commotionem, inprimis iracundiam atque pudorem, aut, si a pallore albuerit, horrorem terroremque, & id genus alios adfectus, quos hic singulatim enarrare longius foret. Denique ab utroque colore tantum non semper mali, quid? quod interdum boni optabilesque praefagiuntur eventus; quibus speciatim exponendis sequenti Capite commodior dabitur locus. Superest, ut hoc unum adiciamus, livescentem faciei Hippocraticae (§. XII.) nasum, vel ipso observante monenteque HIPPOCRATE q), brevi interituri & iam paene semimortui hominis esse omen.

## §. XIV.

Enimvero *prurienti* quoque, quin etiam nonnunquam obscure aut *subacriter dolenti* suum in offerendis signis statuendum est pretium. Ad diagnosis quidem, quae adferamus, sequentia praesertim pertinere videntur. Eiusmodi enim subacri pruritu, qui ad frequentiore allicit fricatum, quum manifesto nervulorum nasalium (§. V.) qualiscunque irritatio demonstratur: necessario exinde sequitur, ut eiusmodi pruriens nasus aut accumulatum prementemque nervos in contiguis vasculis (§. IV.) sanguis.

q) In *Coacis Praenotion.* p. 540. Tom. I. Edit. citat.

sanguinem, aut adfluentem acrem humorem, mucum praecipue a tunicae pituitariae cryptis copiosius advectum, aut denique quaslibet alias causas, remotiores quosdam nervos adficientes, nasalesque simul in sensus consortium trahentes, vera diagnosi declaret. Quae singulae rationes quum denuo a plurimis iisque omnino diversis causis originem trahant, quibus cognoscendis prurientes nares loco signorum anamnesticorum esse possunt: earundem commemorationem, utpote magis specialem, in alterum Caput, ubi magis idoneam de his dispiciendi occasionem nanciscemur *r*), consulto remitemus. At eorum explicatione, quae ex huiusmodi pruritu generatim praedicuntur, hoc loco lectorum spem non frustrabimur. Cuius momenti respectu, instar gravissimae praedictionis memorabile illud existimamus effatum Arabis Medici, sua aetate celeberrimi, nec dum patrum nostrorum memoria suo honore deiectioni, AVICENNAE, ita haud temere praefigientis *s*): *Si aeger sine manifesta causa assidue digitum ad nares admoveat, mundandi, mungendi vel fricandi gratia, malum ominatur.* Attamen in singularibus quibusdam exemplis aliqua haec circumscriptione esse definienda iudicamus: ut ex iis, quae

D 2                    postea

*r*) E.g. ubi de haemorrhagia narium, febribus acutis atque inflammatoriis, cephalalgüs, affectibus catarrhalibus, deliriis maniacis, vermibus, &c. agemus.

*s*) *Libr. IV. Fen. II. Tract. I. Cap. XXXV.* cui adiungantur, si vacat, *Io. Conradi BARCHVSEN Collecta medicinae practicae generalis, Cap. IX. §. 6. p. 363. Edit. Amstelod. 1715.*

postea *z*) passim disputabimus, porro luculentissime constabit.

## §. XV.

Postremo denique nec praetervidendi sunt ab attento Semiologo *tumores, ulcerosae pustulosaeque foeditates*, aliaque efflorescentiarum genera, a quibus singulis saepius externo naso haud mediocriter affertur deformitas. Prurientem haec mala saepius sequuntur nasi adfectionem (§. XIV.); unde hoc nomine tum illius, tum aliarum eandem producentium caussarum (§. citat.), iure suo meritoque anamnesticum dici possunt signa. At vero quum generatim sanguis inaequali motu ad certa loca delapsus, tarde progrediens atque in immobilitatem proclivis (§. XIII.), impurus cacochymicusque, porro constrictiones compressionesque vasculorum, aliaeque remotiores caussae, unde haec modo dictae originem trahunt *u*), e. g. aëris iniuriae, perversum vivendi genus, vehementiores animi commotiones, febres, &c. saepius huiuscemodi tumores, maculas, pustulas, atque ulcuscula producant: non dubitamus, facile hinc intellectum iri, quid anamnesticum, quidve diagnostici subsit signi, si nasus intumescat, aut exulceretur. Quid vero portendant haec narium mala, melius intra ad singularium morborum animadversionem disputabitur. Verum tamen facere non possumus, quin singulare quoddam & paene incredibile Arabum quorundam adiciamus praesca-

- z*) Conferantur e. g. adfectus not. q) commemorati.  
*u*) Quarum explicationem suppeditant Pathologiae generalis institutiones.

praesagium *x*), quod verum sit, an falsum? nos quidem non definiemus. Hi nimirum libere adfirmare ausi sunt, quemvis hominem, cui pustula, lentis magnitudinem aequans, & nigricante aut subviridi colore infecta, subito in nasi superficie suborta fuerit, intra anni spatium e vita excessurum; contra ea illum, cui in apice nasi nigricans eiusmodi & insigniter dolens pustula effloruerit, neque ad hunc vitae terminum perventurum, sed circiter unius aut duorum mensium intervallo mortem esse oppetiturum.

§. XVI.

Expositis nunc exterioris nasi signis generalioribus (§. X-XV.), progrediendum est ad ea, quae ab *internarum narium mutata indole* perversa quae ipsarum officii ratione desumuntur (§. IX.). Atque primum quidem huius semiologicae animadvertionis momentum in eo consistit, ut, quam libere & quam pure anima alterno itu redituque narium vias permeet, a Medico capiendorum signorum curio-

D 3 fo,

*x*) Bona lectorum venia hoc loco excitatum iri, speramus, obscura aliquot & hodie paene inaudita Arabum Medicorum nomina, quorum, si observata in plenis morborum historiis conscribendis diligentia & variae multiplicisque experientiae laus spectaretur, non profecto oblitterata esset memoria. Sunt autem supra memorati praesagii auctores *HALY Theoric.* Libr. X. Cap. X. *RHASIS Continent.* Libr. V. Aphor. 3. & 12. & *ALSAHARAVIUS*, quem & *ALBVCASIN* nominant, *Method. medend.* Tract. VI. Cap. XIX. quibuscum consentit quoque celebris quidam Medicus Salernitanus, *CONSTANTINVS, Afer*, in *Locor. commun. medicor.* Libr. X. Cap. X.

so, attente observetur (§. cit.). In duplici ergo negotio Medici, ad spirantes aërem nares animadvertentis, cura versetur, necesse est: cum ut expedita facilisque aëris transeuntis sit via, tum ut purus sit spiritus nulloque foetore contaminatus. Aëris libero itineri per nares quid officiat, quidve exinde intelligat Semiologus, ut opusculi huius brevitati prospiciamus, reiciemus tantisper ad ea, quae passim infra, strictim autem de adfectibus catarrhali-  
 bus disputabuntur. Foetorum autem, qui spiritu e naribus efferuntur, hoc potissimum loco evolenda sunt signa. De diagnosi itaque primo solliciti, generatim notari volumus, foetentem eiusmodi animam saepe mucis in cryptis narium diu morati atque corrupti, saepius vero internorum pessimi moris ulcerum, tum narium interiora, tum remotiorum viscerum compagem obsidentium, esse indicem. Neque tamen negari potest, purum ceteroquin atque intaminatum spiritum aliis adhuc depravari posse modis, iis nimirum, unde & os saepius pessime olere sentimus: quas, quoniam alibi plene luculenterque exposita novimus y), supervacaneo labore hic non recoquimus. Anamnesticorum autem signorum evolutio prius nec certa erit, nec fatis explanata, quam constiterit Medico ex collatis qualibuscunque reliquarum partium signis, unde verae sordidi odoris origines deducantur. Namque tum demum, cognitis, qui animam contaminant, malis, eorundem quoque praegressas causas  
 e fo-

y) In *Illustris Praesidis Dissertat. de Ore, ut signo*, §. XIII  
 Halae, 1752.





e foetulenti spiritus perceptione Semiologus, pathologicis imprimis praeceptis solide, ut par est, eruditus, facillime coniiciendo adsequetur. Denique quid argumenti ad divinandum in morbis narium spirantium foeditas praebeat, partim ex dictis patet, partim in singularibus ostenditur exemplis.

§. XVII.

Venitur nunc ad alterum phaenomenon, quod desumendis ex interioribus naribus indicibus apprime convenit, *olfactus* nimirum, huius organi ope exercendi, quaecumque a naturali vi atque indole secessionem (§. IX.). Unde nemo facile legitime naturaeque convenienter aliquid coniecero, nisi peritissimus fuerit modi, quo omnis perficitur odoratus. Huius autem intelligentia sufficienter instructus Medicus plurima deprehendet animadversione digna, quae ipsi cum in praeteritis ἀναμνήσεως, tum in praesentibus diiudicationum, tum in futuris praedictionum sint fundamenta. Triplici autem huius sensus vicio 2), quaecumque hinc petuntur, omnia debentur signa. Primo enim aut prorsus abolita est odorandi facultas; quae tunc praesentem motum nervosi fluidi in olfactorio nervo (§. V.) & ut verisimile est, reliquis quoque nervis propaginibus, ad membranam SCHNEIDERI pituitariam abeuntibus (§. cit.), prorsus sufflaminatum manifestat. A quo vicio porro gradu tantum differt valde imminuta olfa-

2) Legi horum gratia merentur Io. Anton. van der LINDEN Meletemata medicinae Hippocraticae, Sect. III. §. V. & Excellent. Io. IVNCKERI Conspect. Patholog. p. 549.

olfaciendi potentia, scilicet superstitis exiguae adhuc nervosi liquidi in olfactoriis nervulis mobilitatis testis. Quod utrumque vitium, si pathologos consulamus, quum ex iisdem paene causis oriatur, quas supra (§. XV.) tumoribus pustulisque narium adiudicavimus: sequatur etiam, necesse est, ut eadem hac utraque vitiata odoratus indole, tanquam signo anamnestico, remotiores illae causae declarentur. Prognoseos tandem respectu quem admodum cuiusvis sensus corruptio semper ominosa esse solet: ita quoque odorandi vis deleta aut saltem maximè imminuta, praesertim in gravioribus morbis, nisi quidem quidpiam catarrhorum subsuerit, mortem brevi imminentem aegroto minatur. Mitius autem de subito perduto olfactu, absente catarrhali colluvie, iudicat RHASES *a*), serioque adfirmat, hoc malo adfectum brevissimo tempore post febre correptum iri. Tandem tertii quoque vitii, quod *errorem odoratus* dicere mallems, hoc loco habenda est ratio. Accidit nimirum, ut aegrotantes interdum aut longe alium sentiant odorem, ac praesentes res odoriferae de se vere spargunt, aut varia odorari sibi videantur, nulla licet re, quae odora sit, praesente. Atqui hinc, si in diagnosi statuenda versamur, certiores esse iubemur aut de ipsa intrinsecus haerente causa, foetorem expirante, & sub aëris exitu ipsius aegroti olfacientes nervulos adficiende (§. XVI.), aut de nimium intensis atque promptissime irritandis nervis, qui ad lenissimum blan-

*a*) Libr. V. citati Operis, Aphorism. XIII. & Io. CORR. BARR. CUYSEN Libr. cit. Cap. VI. §. 12. Edit. cit.





dicationes, celeberrimorum Medicorum observationibus & experimentis, ad ipsos aegrotantium lectos factis institutisque, luculentissime confirmatas.

## CAPVT II.

DE

PRÆCIPVORVM QVORVNDAM  
MORBORVM SIGNIS, A NARIBVS  
COMMUNE DEDVCENDIS.

## §. XIX.

**E**rgo speciatim in particularibus quibusdam morbis signa narium potiora explicaturos nos oportet monere antea huius Semiologiae curiosos, ne, quaecumque aut iudicabimus in praesenti, aut praedicemus, aliter, ac volumus, intelligant, absolutique esse eventus existiment; nisi quidem tum aliarum quoque partium signa his contulerint, tum vero ante omnia specialium quorundam momentorum, in quovis homine speciatim, immo fere unice, obviorem, quorum magna in mutandis signis medicis vis est atque efficacitas, notitiam accurata acquisiverit animadversione. Atqui de hoc, ut de plerisque, iam recte admonuit Medicos incomparabilis vir, *Hermannus BOERHAAVE, qui omnia, dicens c), quae de greo accidunt, observando cognita, ad amissim ponderat seorsim singula, comparat deinde inter se univversa, confert iis, quae in sanitate contingunt, hincque tandem severitate ratiocinii subacti adsurgit in intellectu*

c) In Aphorism. de cognoscend. & curand. morbis, §. 13. Prolegom. p. 14. Edit. van SWIETEN.

Etum causae proximae, (adeoque & signorum, quibus ipsa declaratur,) & auxiliorum ei tollendae aptorum, verum Medici nomen meretur. Quod si enim ad signorum generalem intelligentiam recte acquirendam singula eiusmodi momenta pertinent, ut vere pertinent (§. VII.): quanto magis putabimus horum observationem in singularibus exemplis profuturam. Hoc autem nomine Medici attentionem & considerationem merentur in primis singulorum hominum, in quibus ad narium signa attenditur, aetas, temperamenta d), sexus, vitae genus, consuetudo, & cetera; porro quoque tempestatum rationes, morborum constitutiones universales, & quae sunt alia; de quibus omnibus Medico exquisite constare potest, anteaquam ad signa undecumque statuenda in morbis accedat.

§. XX.

Haec (§. XIX.) itaque perfecte edocto Medico, in artis suae exercitio versanti, sequentia narium in singularibus corporis humani adfectibus signa haud vani erunt interpretes plurimorum memorabilium mutationum, ad quas & diiudicationes, & *διανοητικαί*, & praesagia legitime sunt definienda. Ibis autem per partes, & primariorum adfectuum signa, quorum index nasus est, carptim persequemur. Primam omnium morborum commemorationem iure suo merentur *febres*, quod & amplissimum maximum.

E 2

mum.

d) Quae quomodo reliquis momentis in Semiologia conferri debeant, plenius demonstratum est in *Illustris Praesidis Dissert. de Temperamentorum ratione in Semiologicis habenda*. Halae, 1752.

mumque est genus, & vel ipso testante accuratissimo signorum medicorum doctore, HIPPOCRATE *e*), insignem habent phaenomenorum numerum, quae a naribus pulchre atque distincte denunciantur. Scilicet in *intermittente febre* pallens aut lividus nasi color, praecipue in apice observabilis (§. XIII.), terro- ris frigorisque accessum demonstrat: contra ea ve- ro pustulae, ad narium extremas pinnas exortae (§. XV.), decretoriam, quam vocant, morbi manifestant solutionem. At longe maioris momenti in *acutis fe- bribus* singulis narium est adspetus. In his enim nasi rubor aut pruritus (§. XIII. XIV.), nisi criticam sanguinis aut serosi muci fluxionem praedixerit, saepe, notante FIENO *f*), triste accessuri delirii fuit omen. Licet vero sanguini erupturo via fuerit aper- ta: ille tamen minus laetos eventus praesagire aesti- mabitur, si nimis modeste parceque stillaverit. Huc enim valent illa HIPPOCRATIS: *In aegrotis unum est & hoc ex omnibus signis pravis, pauca excerni.* E contraria parte larga narium haemorrhagia, praeci- pue primis febrium harum diebus, plurimis attulisse salutem visa est. Quam maxime vero in febribus continuis speranda salus est, si aegrotantes, quibus vox defecit aut oculi continuo conniverunt, a largiori sanguinis e naribus fluxu & coniuncto interdum vomitu ad se redeunt loquendique recuperant facul- tatem *g*).

§. XXI.

*e*) Praediction. Libr. II. Cap. V. p. 491. Tom. I.

*f*) In *Semeiotice, seu de signis medicis tractatu*, p. 103. Lugdu- ni, 1664. in 4to.

*g*) Nisi summa temporis angustia circumferiberemur, addidis- semus

§. XXI.

Subiungamus his statim *catarrhales adfectus*, utpote plerumque feбри, cum benigni, tum maligni moris, coniunctos. Supra (§. IX.) iam vidimus, inter alia officia hoc etiam muneris esse datum naribus, ut mucum, in tunica piritaria a sanguine separatum, & ab adfluentibus lacrymis dilutum, fuscipiant, quo commode emungi possit. Duplici itaque modo vitiatum deprehendetur hoc negotium, altero, si parcius, altero vero, si auctior largiorque successerit secretio haec serosa. Haec quidem largior, generatim considerata, auctioris pleniorisque humorum ad caput affluxus testis est, ideoque, huius momenti respectu, plerumque praegressae cephalalgiae, vertiginis, otalgiae, ophthalmiae, odontalgiae, gravedinis, & aliarum huiusmodi adfectionum congestoriarum, ut Medici loquuntur, anamnesticum est signum, & simulac mucum dilutionem nares emittere incipiunt, simul eadem incommoda solutum iri pollicetur. Neque in febribus catarrhalibus benignis extimescenda, quin potius salutaris atque decretoria putanda est haec largior excretio: in malignis autem, si contigerit, AVICENNA observante *b*), perniciem, nostro vero iudicio dubiam saltem portendit salutem. In genere autem statuendum est, magno corporis beneficio abundantes huiusmodi aut acres humores naribus expurgari, alioquin incongrua & insalubri metastasi ad nobilio-

E 3 res

femus adhuc longe plura narium indicia, bona aequae, ac mala, quae in hoc februm genere observatorum accurata attentione evoluta sunt. Commendamus autem hanc in rem legendos aureos HIPPOCRATIS libellos semiologicos, *Praenotiones, Praedictiones, Coacas praenotiones, Iudicationes, Aphorismos, &c.*

*b*) *Libr. cit. Fen. II. Libr. IV. Tract. I. Cap. XXXV.*

res partes facile transfluxuros. Diffiteri tamen non possumus, nos, ipsa frequentiori nostra observatione convictos, prorsus adfentire in signorum doctrina eruditissimo HIPPOCRATI <sup>2)</sup>, omnes, a natura humidioribus magisque pituitosis naribus praeditos, infirmioris esse valetudinis iudicanti. Denique si copiosior e naribus effluens mucus foetens simul fuerit atque saniosus, de latente ozaena dubitare Medicum non oportet.

## §. XXII.

At vero alia omnino *parcioris*, immo plane *suppressae muci in naves destillationis* est iudicatio (§. XXI). Tametsi enim & haec humores copiose ad caput congestos, tanquam originis suae causam, designat, adeoque de iisdem, etiam aut praegressis, aut praesentibus adfectionibus Medicum erudit, quarum ἀνάμνησιν facilis atque expedita dabat defluxio (§. cit.): illaetabiliora tamen edit omina, ea scilicet, quae a constipatis congestisque humoribus expectari possunt. Hinc invitae illae lacrymae, hinc visus hebetatio, oculorumque rubor & lippitudo, hinc aurium, dentium, immo universi capitis dolores, hinc, facta translatione, parotidum tumores, branchi atque raucedines, hinc anginae gravesque ruffes, hinc asthmata suffocantesque catarrhi, hinc in iunioribus phthises, in senioribus apoplexiae paralyfesque, hinc benignarum febrium catarrhalium immutatio in acutas inflammatoriasque, & quid non? Sed nec hoc fatis ominum est. Haud vanus auctor,

Cous

<sup>2)</sup> *Aphorism. Sect. VI. Aphor. 2. & Popular. Libr. VI. Sect. VI.* de cuius Hippocratici effati veritate illud testatur exemplum, quod proprio de corpore desumfit exposuitque doctiss. Dn. Petr. Immanuel HARTMANN, in *Dissert. de Sudore unius lateris*, §. XIX.



Cous noster, exinde mente emotos vidit k). Narium polypii, ulcerationesque, quas ozaenas vocant, lacrymales fistulae, si ex originibus suis eruantur, ab huiusmodi quoque suppressa pituitae nasalis excretionem praedici possunt. Laeta autem omnia esse iubet GALENVS l), si in hoc adfectu aeger invitus lacrymas fuderit, aut manum naribus velut scalpturus admoverit, aut oculos velut a splendore offensos senserit: quum exinde aut sanguis statim erupturus, aut ipse mucus denuo effluxurus, adeoque omnium, quae commemoravimus, malorum solutiones, si satis tempestive factae fuerint, praefagiantur.

§. XXIII.

Quae nunc supersunt, nonnullorum morborum signa, paucis attingemus. Nares, quae spiritum mucumve emitte debent, interdum hausto potu manare animadvertuntur: quod phaenomenon, si anginae supervenerit, funestum, alias autem ossium palatinorum a venereo plerumque veneno perrosorum testimonium existimandum est. Prurientem nasum, sine catarrhali irritatione, vermium esse proditorem, ne quidem tirunculus medicinae nescit. Denique & verus illud proverbium: *Qui pallet, aut amat, aut sudet, aut aegrotat*, nasum quoque tangit; qui omnino in puellis viduisque male menstruatis, cachexia chlorosique laborantibus, neque Veneri inimicis, aut viris hypochondriacis, saepe lucubrantibus, amore succensis, &c. nisi quidem ingrato guttae rosaceae colore, ut haud raro fit, tinctus fuerit, pallidus plerumque & frigidulus apprehendi solet. Tandem singularis est observationis, si Hippocra-

k) Conf. *Coac. Pronotion. Cap. II. p. 538. Tom. I. Edit. cit.*

l) In *Libr. de arte curativa ad Glaucon. Libr. I. Cap. XIV.*

pocratica spectetur auctoritas *m*), inter indicia foetus in utero paullo ante partum mortui referendum quoque esse pallorem summi nasi in muliere gravida. Eiusdem vero perspicacissimi ceteroquin viri iudicium *n*) de rubore narium, tanquam liquidae fusaeque alvi significatione, nostrum equidem non fecerimus, de constanti eiusdem veritate merito dubitantes. Hoc autem, nuperrima observatione *o*) ipsi edocti, novimus, nasum in maniacis, dum sibi animo paullulum constant, subito intense rubescentem, maxime imminentis furoris esse praenuntium. Atque hic dicendorum finis esto. Fatemur equidem plurima ad haec signa a respirationis phaenomenis in naso observabilibus, a sanguinis e naribus effluxione, &c. depromi potuisse: sed quum integri commentarii iustaeque magnitudinis volumina conscribenda fuissent, si, praeter generatim a nobis priori Capite dicta, singularem de his instituissemus sermonem, maluimus Dissertationis limitibus nos continere, hancque laboris nostri particulam aliis relinquere absolvendam.

*m*) Videatur HIPPOCRATES in *Libr. de Superfoetatione*, Cap. VIII. pag. 650. Tom. II. Edit. cit.

*n*) Idem in *Coac. Praenot.* Cap. II. p. 541. Tom. I. Edit. cit.

*o*) Paucis enim abhinc diebus aliquoties in visi feminam circiter viginti annorum, facie ceteroquin eximia, & ob candoris suavitatem commendabili, subito a mania correptam & in publicam, quae furiosis apta est, custodiam (*Tollhaus*) coniectam: quae, dum levius deliraret magisque sanae mentis videretur, candida, quam a natura habebat, erat facie; simulac vero internis furoris accedentis motibus exagitaretur, primo in universa nasi superficie, dein paullo post & reliqua facie, intenso rubore velut suffusa conspicebatur.



01 A 6530

ULB Halle


002 928 71X


3



V018/1001 72







TATIO INAVGVRALIS MEDICA  
DE  
ORBORVM SIGNIS  
QVAE  
IBVS DESVMVNTVR

QVAM  
SVMMI NVMINIS AVSPICIIS  
ET  
TIOSI ORDINIS MEDICI INDVLTV  
P R A E S I D E  
RI, EXCELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO  
DOMINO

REA ELIA BÜCHNERO

CRI ROMANI IMPERII NOBILI,  
MO PRVSSIAE REGI A CONSILIIS INTIMIS,  
HILOSOPHIAE NATVRALIS PROFESS. PVBL. ORDINARIO,  
FACVLTATIS MEDICAE R. T. DECANO,  
ALIS ACADEM. NATVR. CVRIOSOR. PRAESIDE  
ET COMITE PALAT. CAESAREO,

GRADV DOCTORIS  
IN MEDICINA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS  
LEGITIME IMPETRANDIS,

VII. AVGVSTI, A. S. R. 1804.  
ALMA REGIA FRIDERICIANA

PVBLCICE DEFENDET  
AVCTOR  
TIANVS GOTTLIEB ROLL  
PHILOSOPHIAE MAGISTER  
WRATISLAVIA-SILESIVS.

AE MAGDEBVRG. LITTERIS HENDELIANIS.

